



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

De discrimine inter ordinatam & curiosam rationem. Capvt XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

atque ad intelligibilem percipiendam veritatem ordinatè introducunt, licet non ab omnibus intelligantur. Certum est enim, crasse quorundam cecitati & imperitæ bestialitati neminem commode satis loqui posse. Ad hæc eius filia respondit: Grates ago Deo pro tam dilucida distinctione. Velim autem etiam abs te discere Pater, quid inter ordinatam & curiosam rationem, quid item inter falsam & veram Resignationem interfit.

De discrimine inter ordinatam & curiosam rationem.

CAPVT XIV.

POST prima illa certamina, quæ ad mortificandam carnem & sanguinem suscipiuntur, ad profundum peruenitur iter, ubi multi demerguntur: atque ipsum est Ratio curiosa. Eam autem ego rationem curiosam appello: Nimirum postquam homo à vitijs & formis inhærentibus est expeditus, atque ultra tempus & locum hilariter sese subrigit, qua in parte ante præpeditus erat, ut naturali sua dignitate non posset uti, incipitque sese Rationalis aperire obtutus, potioriq; homo delectatione afficitur, quæ ex veritatis cognitione, Diuinæ beatitudinis fruitione, æternitatis contemplatione atque id genus alijs hauritur, creataque intelligentia sempiternam illam ac ininominabilem intelligentiam partim in seipsa & rebus omnibus intelligit, admiratione quadam & stupore perfunditur homo, dum seipsum

Ratio curiosa quid.

seipsum qualis dudum erat & qualis nunc sit, considerat, comperitque se prius non nisi miserum, indignum, Deo vacuum, cæcumque & a Deo prorsus remotum fuisse: at nunc videtur sibi Deo plenus esse, nec quicquam esse quod Deus non sit, sed Deum & res omnes prorsus vnum esse. Atque hoc pacto rem nimis quam vehementer, impetuosè ac intempestive aggreditur: efflorescitque & luxuriat ratio illius, perinde ut mustum efferuescens, quod necdum sedatum est Hinc iam in id, quod intellectu affectus est, aut sine discretionem illi obiectum est sub quadam illius similitudine, qui solus id est, cui vni inhærere debeat, non cuius alij, totum se effundit, vultque tum pro sensibus suis cuncta interpretari ac intelligere. Quo fit, ut creaturas omnes, puta cælum, tartarum, angelos, dæmones impropria sumptos natura abneget & refutet, quod se putet in illis Deum comprehendisse: nec tamen hæc adhuc funditus perspecta habet, quatenus discreta sint, quatenus maneant, & quatenus deficient. Fit ergo id genus hominibus haud secus quam apibus mellificis, quæ ubi primum ex suis erumpunt alvarijs, passim huc illucque errabundæ vagantur, incertæ quo tendant: quædam penitus aberrant & perduntur. Aliæ verò commodè ac ordine ad suas sedes reuertuntur. Sic & isti homines dum incomposita ac irreformata ratione Deum contemplari volunt, quatenus ipsorum fert naturalis captus, hæc atque illa abnegare volunt, sed nesciunt quo pacto oporteat. Verum quidem est, qui rectè secum agi velit, illi abneganda esse omnia, sed non capiunt

Apibus errabundis qui cur similes.

Abnegatio quæ qui futura.

vt hæc

ut hæc abnegatio fieri debeat, voluntque temere hæc atque illa abnegare, & tum se tum res omnes non nisi Deum volunt capere, idque sine distinctione aliqua. Quod illis vitij accidit vel ex immortificata naturæ calliditate. Putant enim plerique se comprehendisse omnia, si hæc possint relinquere sese & resignare. Sed verum hoc non est. Siquidem iam primum ultra fossas præsidiorum minimè expugnationum irreperunt, post quæ præsidia sese callidè & subtiliter occultant, nec etiamnum possunt secundum spiritualis essentia suæ ordinatam deficientiam occumbere in veram paupertatem spiritus, cui quodam modo excidit omne extraneum obiectum, & quicquid Deus non est, & simplex ac sempiterna diuinitas illi respondet in suo minimè impedito sancto ocio, quemadmodum in subditis perspicuè demonstrabitur. Hoc ergo est, in quo nonnulli multis annis occultè herèt, ut nec intrò, nec foras se possint recuperare. Sed à me certa tibi proferetur discretio, ut errare non possis.

Ut vera à falsa resignatione possit internosci.

CAPVT XV.

Scire hæc conuenit, triplicem esse suæ essentia excessum. Primus est, cum quid omnino suam perdit essentiam, ut postea illius nihil super sit, sicut umbra redit in nihilum. Sed hoc modò spiritus (id est, anima rationalis) in suo exitu & abnegatione ad nihilum non redigitur. Aeternum anima permanet ob rationalè suam

Triplicem essentia excessus.
I.

V 4

suam